

Exercit.
Theol.
XXV.

In doct.
perplex.
Par. 3. c. 46.

rum sacris tam operose a sanguinis eſu abſtinendum dō-
cuerit. Non enim honeſtas morum in moderato eſu ejus
periclitabatur, ſed violabatur fundamentum ſacrificiorum.
Nec poteſt unquam oſtendi in veſcentibus ſanguine, chri-
ſtianiſ præſertim, violari finem, qui ſit moralis iſti legi, & in
cædem animari homines. Unde extemplo conſpicitur,
finem legis cogitari, qui finis non eſt. Et fallitur *Becman-
nus* ad quintum Decalogi præceptum referens legem de
ſanguine non comedendo, non rite penſitata legis ratione
& cauſa, quæ cum moralis non ſit, ut ex ſupra laudato loco
Deuteronomii clariffime evincitur, ad nullum etiam præce-
ptum morale lex ipſa pertinebit. *Maimonides* ad præce-
ptum de idololatria refert vetiti ſanguinis argumentum &
reſpexiſſe Moſen ad Zabiorum ritum arguit, qui maſtato
animali, & in cibum dæmonum appoſito ſanguine, ita cum
his amicitiam contraxerint. *Idcirco venit Lex*, ita concludit
aſſertum *Maimonides*, *divina, quæ perfectos reddit eos, qui no-
runt ipſam, ad auferendos iſtos inveteratos morbos, eſum ſangui-
nis prohibendo, & prohibitionem iſtam addita ſanctione, plane ut
in præcepto de idololatria, confirmando. De comedente autem ſan-
guinem inquit DEUS: ponam faciem meam in comedentem ſangui-
nem, eodem modo, quo de illo, qui filium ſuum Molocho immolat,
ponam faciem meam in virum illum; neque occurrit hæc ratio lo-
quendi in tertio aliquo præcepto, præter iſta duo, de idololatria &
comeſtione ſanguinis, quia illius comeſtio ad ſpeciem aliquam Ido-
latria, Dæmonum videlicet, cultum, anſam & occaſionem prebe-
bat. Cæterum ſi hæc vetiti ſanguinis ratio, cur non & ve-
tandæ carnis fuerit? Scribit idem, hominem natura abhor-
rere a ſanguine; ſed a quo natura abhorret, num id proti-
nus morale quid involvit? Et num ideo abhorret omnis,
quod multi abhorrent? Et ſi naturalis horror abſterrebat,
quid attinebat tanta lege a Moſe fulciri horrorem? Si Za-
biorum idololatria adverſo ritu damnata eſt, nec caro vi-
ſtimarum comedenda Iſraëlitis fuit, ut Zabii comedebant;
Cum & ipſo *Maimonide* teſte multi illorum a ſanguine ab-
ſtinerent, quomodo horum perverſus nihilominus cultus
taxaba-*